

Salutem in Domino. Accepimus amantissimas uestras cum duobus libellis quarto
 Calendis Nouembris literas quibus multum delectati sumus: tum quod libelli
 transmissi eximium in nos studium multo ante nobis perspectum atq[ue] cogni-
 tum, magis magisq[ue] confirmarent uestrum: tum quod litteræ veteris ami-
 citiæ suauissimam continerent memoriam atq[ue] recordationem, et pro li-
 bellis q[ua]m nobis magnas agimus gratias, nihil enim ex officina uestra
 quod non sit elaboratum proficisci solet. Quod vero et nostri absentis concor-
 natiæ memoriam & amorem in eo facitis rem vera amicitia dignam et
 nobis ualde laudatam atq[ue] probatam, Quod si uti scribitis per occasiones
 uestras in has Silesiæ partes nostras venire: et nos inuisere nobis licuisset,
 præsentia uestra nobis imprimis accepta atq[ue] iucunda accidisset. Ceterum
 non possumus non etiam probare et vehementer laudare operam uestram
 atq[ue] industriam, quam in Thesauri latine lingue euulgando ponere stu-
 detis Quod vero nostrum ad eam rem requirit subsidium ad id præstan-
 dum propter Musarum decus et erga rem literariam amorem nostram singu-
 larem, essemus quidem animo multum propensio ino propensissimo: si non
 in hac noua Episcopali dignitate et supremi p[er] Vtramq[ue] Silesiam Cesarei
 Capitaneatus administratione, quotidianis infinitis sumptibus et immensis
 ingrediemur expensis quæ nobis eiusmodi largiendi facultatem atq[ue] libera-
 litatem, quam à nobis desideratis, planè eripere atq[ue] præcludere viden-
 tur. Ne autem Musarum nos oblitos esse existimetis significandum
 uobis diximus, Nos iam in exordio statim Pastoralis officij nostri,
 ad scholam Alisæ aperiendam annua duo millia et quadringentes ta-
 leros annuos assignasse. Quod si præter hanc annuam pensionem
 nobis aliqd Virium fore senserimas, curæ nobis erit ne nobis cæte-
 risq[ue] amicis beneuolentiæ studio defuisse censeamur. Quod re-
 liquum est optamus nos bene atq[ue] feliciter Valere Data Alisæ
 Pridie Non: Decemb. A^o LXXXIII.

Martinus Episcopus
Vestibulensis.